



Ung

H-184.

Ocasionia H-184.

rotifera in cornua gratil.


vol. 27. 18-2

(Caffraiana et aliis segregata)

fructu pectinata. 184a.)

184a.)





V. C - *return to Trustee copied name*

# GODOFREDO VAGENERO

IVTREBOGA SAXONI  
PHILOSOPHIAE BONARVMQVE ARTIVM  
MAGISTRO PEREXIMIO

# SCHOLAE VITEMBERGENSIS

THE VENBERGENS  
**PROBECTORI**

**PRORECTORI**  
RECENS VOCATO LONGE RIGNISSIMO

**PROSPERA QVAEVIS EX ANIMO**

PRECANTVR

# TRES AMICI SANCTIORES INTERPRETE

INTERPRETE  
**JO. ANDREA LVTHERO**

IO. ANDREA LVITHERO  
FREIBERGA HERMVNDVRO



X quo tempore proprius Tecum coniungere amicitiam integrum nobis fuit, incredibili quadam ac prope singulari sumus laetitia perfusi, propterea, quod insignis Tua atque exquita eruditio, tum publice, tum in quotidianis priuatis sermonibus, toties spectata, moreisque humanitate perpoliti, et in primis ad priscam fidem ac modestiam compositi, quibus omnium Tibi voluntates conciliare soles, maxima nos semper uoluptate affecerunt. Etenim, inde a pueris statim, Cl. TEVPITIO, Turorum per id tempus studiorum in Vrbe patria moderatorne nequam infelici, elegantioribus animum studiis ita praeparauisti, ut, ejusdem iudicio, aetate adhuc tenera, dignus uiderere, qui Academiam adires. Verum longe alia Tibi mens, nec eorum probata fuit unquam consuetudo, qui cum primum Latine aut Graece uix mediocriter scribere coeperunt ac loqui, uehementi quodam abeundi pruritu altiores ad scholas properant, ubi, Icari more modoque prolapsi, stultiriae tandem suae poenas luere coguntur. Tu uero, Cl. VIR, priusquam peteres Academiam, egressus patria, inclytam Freibergam Hermundurorum concessisti, ibique perhumaniter exceptus, dux FRITSCHII, BEYERI, MOLLERI, HASSII, Virosorum doctrinac politioris fama praefabantur, tempestive animum ad ueram applicasti sapientiam, adeo, ut non modo in Tuis ipse studiis ingentes breui sentires profectus, sed Commititones quoque Tui in Te, uelut exemplum industriae luctulentum, intueri iuberentur. Cuius ut rei faciamus fidem, haud immitterito ad Testimonium uitae integre transactae, pictatis, uirtutis, industriae, uerecundiae, modestiae, illo tempore Freibergensibus insigniter comprobatae, idque literis exprefsum publicis, prouocamus, quo Te abeuntem ornandum esse, duxit Cl. Vir, et in patriae commodum natus, M. MOLLERVS, Gymnasi Freib. eo tempore Prorector meritisissimus, peridoneus ille, si quisquam alias, uirtutis Tuae existimator. Quare non poterant Amplissimi Freibergensium Vrbis Patres facere, quin Te, singularis cuiusdam propensionis argumento, non fouerent modo benigne, uerum et aliquas Scholae muniorum partes, quas ibi Collaboratoris uocant, perbenigne ad Te deferrent, mente haud alia, quam, ut sua uirtutis ornamenta, praemia industriae, diligirentur. Quo quidem per annum defunctus, et optimis quibusque tum linguis, tum artibus, haud vulgarem in modum adauertus, de consilio Parentum et Praeceptorum, hoc ante sexennium, Vitembergensem es Academiam, continuandorum caufa studiorum, ingressus. In hac Musarum et religionis sede, non, uti mos est plerorumque, praemittendis omnibus posthabitis, ad diuinarum rerum intelligentiam intempestive Te conuertisti, sed aliarum prius rerum, sine quibus difficiliora uix ulla percipi satius commode posse sunt, decreta maxime necessaria, partim in publicis recitationibus,

partim priuatis in scholis, perdiscere apud animum constituisti. Quod institutum collaudari hoc magis meretur, quo maiore mentis contentione elaborasti, ut non, more seculi vulgique corrupto, turbidores quosdam sapientiae riulos delibares, sed, limpidioribus reclusis eius fontibus, pleno uelut ore nectare illud haurires. Neque uero quicquam indignum studiis fecisti Tuis, cum, emendatam loquendi scribendique rationem, quae in doctrina liberali primas facile tenet, eo diligentius Tibi comparandam esse, putares, quo longius ea celsiores illas mentes a plebeis se iungere uidetur. Certe uerbis exprimere non possumus, quantopere nos semper afficerit perpolatum illud Tuum, atque ad ueterum plane similitudinem, perapto imitandi genere, effictum dicendi genus, quippe qui, ornate copiose uerba posse facere, partem esse non minimam eruditiois, cum sapientibus merito censamus. Ingentem hic poteramus cumulum afferre monumentorum ingenii Tui, nec minorem una Tuarum uim laudum, sed, ne modum, gratulandi officio praefitutum, transgredivide uideamur, scientes de his uolentesque in praefentia silemus. Ceterum in hoc studiorum conatu cursuque idonei nunquam defuerunt Tibi moderatores, quorum e numero VATEROS, HEVCHEROS, ROESCHELIOS, VICHMANSHVISOS, BERGEROS, KIRCHMAIEROS, PLANEROS, CLAVSINGIOS, SCHROETEROS, ZEIBIGIOS, VOLFIOS, DASCHIZKIOS, HOCHEISENIOS, BECKEROS, pereximia celebres eruditio Viros, neque laudibus nostris, uerum suis metiendos meritis, nominasse, sufficiat, quos ira Tibi moris indolisque elegancia decinxisti, ut, ope horum et consilio praeclare Te adiuuari, et intelligeres probe, et ingenuo confitereris. Praeter uero ceteros, familiariter uixisti cum illustri SCHVRZFLEISCHIO, cuius prae maturum adhuc obitum, summamque in omni literarum, maxime reconditarum, genere, peritiam, uia cum Musis nostris, tanto fers acerbius, quanto cupidius publice priuatimque docenti nunquam non affuisti, industria Tuam ita constanter compobans, ut, uel ipsius SCHVRZFLEISCHII, quod extar publice, testimonio, neuter ab altero posse disfuncti uideretur. Longum quoque nimis foret, expondere, quam libens ac laetus ad CNAVTHIVM Tuum, commune et Musarum, et amicitiae nostrae, delicium, uentitaueris, ut artes disceres eas atque excoleres, quibus uniuersa humanitatis et elegantiae ratio continetur. Quo autem capaciore praeditus eras ingenio, hoc aegrius spatiis literarum angustioribus continebare, compluresque per annos Sapientum in scholis exercitus probe ac praeparatus, ad coelestis illius ac diuinioris sapientiae studia successu haud infeliciore digrediebaris. Tum demum LOESCHEROS, NEVMANNOS, VERNSDORFIOS, FEVSTKINGIOS, CHLADENIOS, Viros utique summos, sapientissimoque rerum diuiniarum interpres, continenter adire coepisti et audire, non sine Tuо sangu-

lari, etiam hoc in genere literarum, incremento. Ita uero, confectis, ex animi sententia, studiorum rationibus, ne eruditionis, quas collegeras, opes Tibi soli seruare uidereris, haud semel, tnm ex Morum Doctrina, tum ex Rerum Naturalium Scientia, argumento disputandi deprompto, in conspectu confessuque omnium perpulchre stetisti, cum et rationes, rationibus oppositis reponendas, ita haberes in promptu, ut uim ingenii, doctrinae copiam, differendi facultatem, suspicere tantum non omnes ac comprobarent. Quibus rebus effecti, ut non modo summum in studio sapientiae decus et insigne, laboribus pridem uigiliisque debitum Tuis, consentientibus Venerandorum Academiae Patrum suffragationibus, magnoque amicorum applausu, Tibi decernceretur, sed quoque, exploratis, cum Tua laude, ingenii uiribus, aperiendi scholas, bonasque artes publice priuatimque docendi, atque adeo eruditam ornandi Rempublicam, Tibi potestas concederetur. Haud alia de causa factum est, ut, cum, superiori proxime tempore, Prorectoris in Schola huius Vrbis Senatoria munus uacare coepisset, Patres Vrbis, iidemque Vrbis Scholae Ephori, Tuas mirati dotes, magno uoluntatum confessu, has Tibi partes offerrent, uix alium quenquam, Te idoneum magis, inueniri posse, persuasi. Cum igitur hodierno die, more atque instituto ueteri, solemniter in crediti commissione muneris ueluti possessionem sis immittendus, cauac nos multae mouent et in primis graues, quamobrem Te, nouis auctum honoribus, ob tributa uirtutu Tuae praemia, decenti gratulatione plausique prosequarunt. DEVM uero O. M., auctorom Scholarum et statorem, ueneramur enixe et obtestamur, ut Te saluum semper atque incolumem, magno diuinoque Scholae commodo, conferuare, perpetuaque, laudis perinde, ac fortunarum, accessione cumulare perget, nec minus exoptatos Tibi successus, quam auspicia muneris, quod, magna cum gloria, consecutus es, fausta, largiatur. Minuat idem illud NV-MEN, cui curae cordique Te, scimus, esse, labores ac molestias omnes, easdemque fructu laudis et famae, nunquam intermorituras, compenset, cum praesertim eiusmodi sis prouinciam nactus, quam refugunt plurimi, uel eam ob causam, quod, eos, qui, hoc in genere studii munerisque, publicis inferiuunt commodis, operae non parum, parum uero mercedis, manere, uident. Tu uero, Cl. VIR, bene interim ualeas, neque immemor uiuas nostri, diuinoque fultus auxilio, frendente quamuis orbe et orco, strenue res Tuas ac propspere, id est, ex Tuo nostrisque, modis omnibus, atque omni tempore, quam optime Tibi cupientium, uoto, agas. Vitembergae in Saxonibus, IX Calendas Septembres, A. C. cccx.

VITEMBERGAE SAXONVM

EX OFFICINA SAMVELIS CREVSIGII

Ung VI 184

10A-



O  
p  
C  
V  
W  
S



X dñs se[u]l ho[me] b[ea]tiss J[ohannes] c[on]su[ltor] c[on]siliu[m] consiliorum  
V. C  
**GODOFREDO VAGENERO**

IVTREBOGA SAXONI  
PHILOSOPHIAE BONARVMQVE ARTIVM  
MAGISTRO PEREXIMIO

SCHOLAE VITEMBERGENSIS

**PRORECTORI**

RECENS VOCATO LONGE DIGNISSIMO  
PROSPERA QVAEVIS EX ANIMO

PRECANTVR

TRES AMICI SANCTIORES

INTERPRETE

IO. ANDREA LVTHERO

FREIBERGA HERMVNDVRO

